

**Dissertationem solennem de apoplexia / ... P. p. Jo. Fridericus Schleifer ...
et Carolus Schultze.**

Contributors

Schleifer, Johann Friedrich.
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736
Schultze, Karl
Universität Wittenberg

Publication/Creation

Vitembergae : Stanno Gerdesiano, [1717]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v6djwt68>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECTORAT. SAX. HEREDE
DISSERTATIONEM SOLENNEM
DE

APOPLEXIA

PRAESIDE

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO

CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO REGIO
COLLEG. MED. SENIORE ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

P. P.

IO. FRIDERICVS SCHLEIFER

HAYNA - MISN.

ET

CAROLVS SCHVLTZE

BRANDENB.

AD D. IV. NOVEMB. MDCCXVII.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUVETIS.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO.

ON FRIDAY AUGUST 20

APPROPRIATE

TO THE HONORABLE
COMMISSIONER OF THE
PROSECUTION

IN THE MATTER OF
THE PEOPLE VS. SCHILLER

AND VS. SCHWARTZ

THE PEOPLE VS. SCHWARTZ
AND VS. SCHILLER

DE

APOPLEXIA

DISSERTATIO SOLENNIS

I.

Aποπληξίαν Græci graue illud nomina-
uerunt malum, quo correptus homo,
aspectu quamuis sanus & ualens, acce-
pto ueluti ictu, aut inflicta plaga, per-
cussus, repente concidit, & per omnia resolutus

membra, sine sensu, sine motu, sine uoce, ac mente, miserum cum stertore spiritum trahit, eaque oppressus ruina, celeriter plerumque rapitur, uel ereptus ex periculo, & seruatus, diutius quidem uiuit, sed raro tamen ad sanitatem integritatemque peruenit. Subinde etiam ἀφασία, ob cessationem uocis, cum ceteris coniunctam accidentibus, ab *Hippocrate* nuncupatur. Accommodate *Celsus* resolutionem, quæ tota infestet corpora, siue paralyfin uniuersalem, appellauit. Vsus quoque obtinuit, ut morbus attonitus & sideratio uocetur, quod cum repentino quodam impetu accidat, ac sæpe ui eueniat fulminis, uel infausti cuiusdam sideris afflatu oriri uideatur.

II.

DE quo mali genere acturis nobis in mentem uenit id, quod Medicus quidam doctissimus Londinensis, a Collega suo, Gualt. Harris, interrogatus, quamobrem de morbis capitis nihil unquam in lucem emisisset, cum de morbis tot aliis tam feliciter, tantoque cum applausu scripserit, respondisse fertur, illud propterea factum fuisse, quoniam illos curare morbos haud potuerit. Lau-
da-

damus candorem uiri ingenui, quem suspicamur Th. fuisse Sydenhamium, Hippocratici ingenii æmulum. Neque inficiamur, hodieque cum ueritate conuenire sententiam, quam *Hippocrates aph. XLII, f. II*, memoriæ prodidit, soluere morbum, quem apoplexiam uocant fortem, impossibile esse, debilem uero, non facile. Sed, ideo maiori studio & accuratiore diligentia naturam illius tam præcipitis atque exitiosi mali inuestigandam esse, opinamur, quo uel futurum auerti mature, & præcaueri, uel præsens rectis sanari remediis, quoad liceat, possit. Præsertim cum, multis eum affectum, erroribus implicitum, curandi rationem difficiliorem reddere, videamus, usuque constet, non omnes ilico mori, quibus mortalia signa adsint, sed nunc ui naturæ, tacite operantis, nunc artis adiumento, nonnullos seruari, de quorum salute desperabatur.

III.

Quare ut eius ideam mali recte describamus, id primo meminisse iuuabit, de quo inter artis peritos constare arbitramur, apoplexiam

subito semper hominem inuadere, siue, signis quibusdam & notis, aduentus sui cum præmoneat, siue, sine ullis antecedentibus symptomatis, improviso accidat. Namque audias, quosdam ante casum, & priusquam attoniti concidant, de plenitudine, & grauitate, ac crebra turbatione, subitoque dolore capitis, & uultu coloratiore, de tinnitu aurium, & caligine oculorum, de hebetudine sensus, oblivione modo dictorum, tarditate uocis, uel tremula locutione, de uertigine & incubo, atque symptomatibus, conqueri, aliis, quæ quidem ei malo etiam cum morbo caduco, & reliquis grauib. cerebri affectibus communia esse,prehendimus. Videas contra, alios nihil horum experiri, sed præter spem omnem expectationemque, sæpe inter epulas & pocula, eo malo corripiti. Quemadmodum ex *Sigeberto* nouimus, Attilam, Hunnorum regem, post tot illata Christianis mala, sexto suæ tyrannidis anno, in ipsis nuptiis ex apoplexia corruisse, suoque cum sanguine, qui alienum sitierat, suffocatum, interiisse.

IV.

Quisquis uero eodemprehenditur malo, is actutum, tanquam attonitus, quandoque cum clamore quodam, simili eorum, qui strangulantur, totus procidit, & mox amissa uoce, ac intercepta ui sentiendi, mouendique, rectrice etiam anima quasi deposita, oculis clausis, uel suspensas habens palpebras, humi prostratus iacet, & ore hiantestertens, uix alia re, quam spirandi difficultate pulsuque, a mortuo differt. Neque enim uidet ita percussus, neque audit, neque odoratur, nec, si uehementius labore, quocunque uellicatus punctusque modo, ullum sensus, aut intelligentiæ, signum præbet, membrisque omnibus resolutus, artus tam laxos & flaccidos obtinet, ut eleuata uel brachia, uel pedes, pondere suo, sicut in cadauere, rursus concidant. Sumta pocula, nunc per gulam descendunt, nunc ex spumante ore per nares resiliunt. Color tamen faciei non tam remittitur, quam intenditur, ac, læsa admodum respiratione, ut fere strangulatis euenit, obscurior tandem, plumbeus-
que

que redditur. Pulsus, initio plerumque pleniores, & satis ualidi, inæquales tamen, cum ingrauescente stertore parui, debiles, crebrioresque fiunt. Non enim eodem in omnibus modo se apoplexia habet, sed gradu, & uehementia, magnitudineque distinguitur. Est quidem omnis apoplexia toto genere uehemens, sed prout symptomatis, quæ diximus, magis uel minus grauibus, stipatur, & coniunctus stertor plus minus grauis est ac uehemens, apoplexia quoque magis uel minus uehemens, siue fortis alia uel grauis, alia debilis uel leuis, nuncupari meretur. Fallitur doctissimus *Barth. de Moor*, cum, stertorem in apoplexia adesse & abesse posse, existimat, *Pathol. cerebr. c. XXV.* Rectius in omni apoplexia, quantumuis forti, stertorem adesse, *Hofmannus Cap. XIV. animadu. in Montan. aduertit.* Optimeque *Iustus Cortnummius* repentinum, eumque insomnem stertorem, aphonie Hippocraticæ superuenientem, proprium apoplexiæ signum constituere, ex sententia doctissimi Senis, & aliorum, qui in eius affectus indolem paulo accuratius introspexerunt, comprobauit, *lib. de morb. atton.*

atton. cap. XXXVII & seq. Hæc eadem concisa reique coniuncta, ut solet, dicendi ratione *Rhases, IX ad Mans. de re med. c. IX*, indicavit: *Cum aliquis quasi dormiens iacet, & sine somno stertit, & cum pungitur, non sentit, tunc iam patitur apoplexiam. Est autem huius egritudinis quantitas, secundum quod fortiter aut debiliter stertit. Quod si spuma ex ore exierit, non est ei medicanda. Cum autem parum stertit, egritudo est leuior. Neque aliter ex recentioribus, ut multos taceam alios, Bellinus profitetur, cum lib. de morb. cap. p.m. 437 respiratio, ait, plus minus est debilis, & semper cum stertore coniuncta, & stertor eo altior, quo respiratio magis coacte, seu maiori nisu pectoris, quanquam debiliter, exercetur. Idemque, quantum sit discriminis apoplexiam inter & somnum, eodem loco exposuit. Quæ cum minus Galenus aduerterit, & neglecto stertore, a spirandi difficultate quatuor apoplexiæ gradus & differentias induxerit, ita ut summum gradum absentiam respirationis nominauerit, & se, multosque frustratus est alios, & magnam affectuum, & naturæ, & causis differentium, confusionem peperit. Neque enim apoplexia omnes*

B

sunt

sunt illæ affectiones, quæ uulgo pro eadem habentur, cum notum sit, crebro admodum eam cum syncope cardiaca, leipothymia, & suffocatione uterina commisceri.

V.

Iam uero illud etiam diuturna obseruatione annotatum reperimus, morbum attonitum iis magis familiarem esse, qui annum iam quadragessimum, nondum sexagesimum excesserunt, utique si habitus fuerint athletici, si potationibus, ac ebrietati, & ingluuiei dediti, perditam vitam ducant. Quo tamen ætates reliquas exclusas nolumus, cum & senes decrepiti, & pueri, ac iuuenes, eidem malo sint obnoxii. Sicut euenit iuueni illi apud *Tulpium*, lib. 1. *obs. med. VII*, quem redundans capitis sanguis in subitam & grauem apoplexiam præcipitauit. Ac luxuriam quidem sanguinis, siue humorum in uasis, quam uocant plethoram, in omni prope modum apoplexia, quæ a causa interiore proficiscitur, antecedere, omnes fere historiarum medicarum loquuntur. Ita *Hoffmannus*, uir multæ eruditionis atque experientiæ, apoplecticos, quot-

quotquot unquam uiderit, omnes, plethoricos fuisse, scribit, *III. inst. med. 92.* Idem *Martianus*, & *Ballonius*, pluresque notarunt alii, nec minus adueniens subito malum, & eorum, quos inuadit, constitutio, ac uultus plerumque coloratior & roseus, ualaeque tumentia, clare indicant. Haud aliter suppressæ excretiones consuetæ sanguinis ostendunt, quibus malum illud frequenter excitari solet. Id alios inter suo nos funesto quidem exemplo docere potest aurifaber *Laufannensis* apud *Fabricium Hildanum*, *III obs. 11*, qui, cum a iuuentute narium hæmorrhagiæ obnoxius fuisset, postea ad sexagesimum ætatis annum euectus, graue aliquod periculum inde metuens, amuletis fluxum illum successu infelicissimo compescuit. Nam morbo attonito inde correptus, protinus uita excedere coactus est. Hinc uero etiam fieri uideas, quosdam, oborta liberali hæmorrhagia, ab apoplexia liberari, alios post mortem demum magnam sanguinis copiam per os naresque reddere. *Eximie Smetius, Miscellan. p. 601: Quid damni sanguis ipse defæcatus & sincerus uitæ nostræ inferre potest, utpote cum naturæ nostræ con-*

ueniens ac necessarius sit? Sane quamplurimum. Sit enim uel optimus, tamen copia abundet: mox, si firma sint uasa, aut caloris natiui oppressionem, aut apoplexiam, aut febres continentes intentat. Quæ pariter perspiciens Galenus, posteaquam diu falsis de spirituum animalium generatione, & humoribus uariis, uentriculos cerebri opplentibus, inhæsit, in eandem demum sententiam iuit, & apoplexiam a redundante imprimis sanguine oriri, statuit, ut docte Cortnumius ostendit l.c. cap. XXIII.

VI.

Vini certe generosi, ac spiritus uini, liquorumque ardentium, quos aquas uocant uitæ & potus cuiusuis inebriantis plurimo usu, satis quidem constat, affectum hunc crebro admodum euenire. Idem, notatum legimus, ab usu fumi tabaci, opii, & aliorum narcoticorum fieri. Plurimum quoque ad eundem gignendum morbum conferre aerem, tam æstu, quam frigore excedentem, ac coelum imprimis humidum nimis & pluuiosum, & subitas magnasque tempestatum mutationes, experientia confirmat.

Ex

Ex quo causam apoplexiæ illius epidemiæ, quæ annis 1694 & 1695 Romæ, totaque fere Italia, multis exitiosa fuit, *Bagliuus* repetiit, *Pr. med. p. m. 117.* Notum præterea est ac peruulgatum, quosdam diuturniore sub radiis solis & lunæ mora, alios intempestiuus balneis & lotionibus capitis, nec minus otio, quam uehementioribus corporis & animi motibus, inprimisque ira ac terrore, percussionibus demum, & uulneribus capitis, morbisque aliis, ac præsertim caduco, in apoplexiam incidisse. Quorum quippe omnium plurima exempla apud Practicos occurrunt, quæ longum nimis foret hic cuncta perconsidere.

VII.

Quodsi, ut par est, sectiones cadauerum, hoc morbo defunctorum, excutiamus, potissimum obstructos polyposis concretionibus crassæ meningis sinus, inprimis iuxta torcular Hero-philii, uasa item cerebri, simili materia obsessa, & sanguine, nunc liquido, nunc concreto, repleta, tumida & uaricosa, nec raro rupta eadem, aliquando ruptos quoque sinus, & sanguinem, in

basin cerebri, ac sæpe per omnem eius superficiem anfractusque, interdum etiam in uentriculos effusum, ac humorem præterea serosum, nunc membranas totamque compagem cerebri, modo uentriculos inundantem, modo ubique diffusum, & dextrum cordis uentriculum pulmonesque plurimo sanguine refertos, sinistrum contra uentriculum uacuum, nec raro sanguinem incauo pectoris pulmonumque hærentem, reperiemus, in quibus colligendis gratum nobis otium fecit Cl. Bonetus, *Sepulchr. anat. lib. I, sect. II.*

IIX.

Ex his uero omnibus, quæ hucusque de phænomenis, & morbum antecedentibus, cum eoque coniunctis, de causis item prægressis & procatarcticis, ac obseruationibus demum anatomicis, in medium sunt adducta, collatis inter se ac comparatis, id quidem clarum est ac perspicuum, partem, in apoplexia primario affectam, esse cerebrum, illam succi neruosi, unde uis mouendi manat, officinam, & sensuum omnium, ac cogitationum, & sapientiæ sedem, quatenus illud, ob interceptas tot innumerabilium, quibus meninx tenuis, & mirabilis ipsius corticis cerebri contextus constat,

stat, arteriolarum uias, per quas aditus sanguini in coniunctas uenulas ad sinus crassæ meningis, uenasque iugulares, & succo neruoso introitus in fibras medullares, & ex his propagatos neruos, patere debebat, per interiores arteriarum carotidum ac vertebraliū ramos affluentis ui presuque sanguinis afflictum, ab officiis suis, a quibus motionum & sensuum, mentisque operationes in hoc ædificio humani corporis pendent, propemodum uacare cogitur.

IX.

Neque enim aliam eius mali causam continentem & proximam esse posse, præterquam sanguinem, in suo circulo per dicta cerebri uascula ita impeditum, ut affluentis a tergo sanguinis impulsione cerebrum plus minus comprimat, eoque succi neruosi secretionem & transitum in fibras medullæ cerebri & neruorum impediat, is quidem facile perspiciet, qui eadem ipsa, quæ commemorauimus, in uiuis pariter ac mortuis occurrentia, phænomena, recte inter se comparauerit. Namque eo omnes supra enumeratæ causæ antecedentes & procatasticæ pertinent, ut humores in uasis totius corporis, tum imprimis capitis, accumulent, & nunc rarefactionem, nunc lentorem in sanguine pariant,

&

& finus ac uasa cerebri uel relaxent, uel coarctent, ac libertatem pororum impedian, aut etiam uasa finusque rumpant, ac tandem remoram sanguini in iisdem impetumque procreent, & his modis uariis ad turbandum illum sanguinis in cerebro circuitum, gignendamque adeo apoplexiam, conspiciunt. Neque alia observationes monstrant anatomicæ, & ipsa curandi methodus declarat.

X.

Atque hinc etiam ratio euenientium in apoplexia symptomatum nullo negotio deducitur. Nam quia, illius uis impediti per uascula cerebri circuitus, plus æquo dilatata arteriola in continuatas pressasque fibras medullares ex conferto sanguine uix quicquam succi transmittere ac propellere, queunt, necesse est, succi illius, cuius uigore perfusa tensaque illa cerebri ac neruorum chordula, sensuum & motionum sunt opifices, perennitas repente deficiat, eoque resolutis neruis, uis mouendi sentiendique subito destitutus homo confestim corruat, hoc stupidus magis, & mouendi facultate priuatus, quo grauior est ab ictu illo sanguinis compressio cerebri, & defectus

ctus succi neruosi maior. Siquidem facile patet, uim comprimentem cerebrum diuersorum esse graduum, adeoque tremores etiam undasque neruorum, quibus sentimus, & motus per neruos in musculos, diuersis prohiberi modis posse, eaque omnia euenire, quæ in historia morbi sunt prædicta.

XI.

Quodsi igitur non ita impeditus sit circuitus sanguinis in uasculis cerebri, ut omnes in fibras neruorum aditus præcludat, sed aliquid adhuc liquidi in illas immittat, liquidum illud mouendis quidem musculis, qui nutu reguntur uoluntatis, impar, continuando autem utcunque motui cordis & musculorum quorundam pectoris sufficiens erit, eoque, deficiente quamuis sensu motuque membrorum corporis, motus tamen cordis, adeoque pulsus, & respiratio supererunt, quod musculi hi, qui respirationi seruiunt, una cum corde, antagonists sint destituti, ac ideo minoremulto succi neruei copia iisdem contrahendis sufficiat, quia tollitur illa, quæ ab antagonists oritur, contranitentia. Sin augeatur uis compressionis in cerebro,

rebro, augebitur etiam defectus liquidi in nervis, & par huic obtinget in spiritu pulsuque mutatio, dum, oppresso penitus cerebro, omnis cesset influxus liquidi & perennitas, atque moveri pectus desinat. Neque enim attoniti ante moriuntur, quam eos respiratio defecerit. Cor autem etiam intercepto spiritu aliquandiu palpitat, & proinde interea pulmones ac dexter cordis ventriculus multo sanguine implentur. Hæc cum minus animadverterit *Villifius*, contra circuitum sanguinis hic ideo superstitem esse pulsum & respirationem, voluit, quod nervi, qui motui serviunt involuntario, suamque ex cerebello originem habent, a causa, quæ nervos cerebri afficiat, haud lædantur, cum tamen clare constet, communia cerebro ac cerebello uasa esse, eodemque adeo sanguine utrumque perfundi. Quare ubi supra, cerebrum in apoplexia affectum esse, diximus, id late sumtum hic intelligi volumus. Id uero hic etiam patere putamus, spiritum in apoplexia difficilem sine stertore esse haud posse, quod ob defectum succi nervosi, & hinc orientem resolutionem musculorum laryngis & pectoris, admisus inspiratione difficili aer, emittendus iterum, diu in trachea & gutture hæ-

hæreat, ac agitetur, nec expelli possit, dum alius alium consequens, necessitate ita urgente, per loca inæqualia asperaue protrudat, & allidendo ad rimulam laryngis membranaceam & epiglottida, harum agitatione tremoreque partium, trementem uel sonantem spiritum elidat. Vnde a stertore grauitas mali & magnitudo merito æstimatur, cum ingens stertorem inter apoplecticum & quemuis alium discrimen intercedat. Cui proinde coniuncta oris spuma, a stagnante propemodum in pulmonibus sanguine partem eius tenuem serosam in bronchia secedere, aerique minutatim permixtam, sursum per tracheam ad os compelli, notat, & præsens adeo suffocationis periculum significat.

XII.

Hæc si recte cognoscamus, intelligemus etiam facile ἀπόληψιν φλεβῶν Hippocratis, siue plenitudinem atque obstructionem uasorum cerebri, ad quam ille originem apoplexiæ retulit, & in qua exponenda tanta diligentia laborauit *Cortnummius* l. c. cap. XXV. & seq. ut nihil ei hic addi sit necesse. Potius mirari subeat, eam doctissimi Senis sententiam in hac circuli sanguinis luce hodie-

que a multis deferri, & sedem apoplexiæ non in arteriis, sed ipsis in fibris medullæ cerebri collocari, & spiritus animales iisdem in fibris nervisque redditos segnes, immobiles, & torpidos, uel ab acido coagulatos & fixatos, seroque, uel pituita, vel succo melancholico, atraue bile, captos & inuolutos, rebusque aliis narcoticis ligatos & irretitos, pro causa haberi. Quam proinde sententiam merito reiecit *Pitcarnius, diff. de circul. sangu.* & iam ante eum iisdem argumentis explofit *Mæbius in Fund. Physiol.* nec ipsa medendi ratio admittit. Quod si enim obstructio fibrarum medullæ cerebri ac nervorum in causa foret, quem quæso usum præstaret venæ sectio, quam optimum hic ac præsens sæpe remedium esse, experientissimi quique fatentur Medici. Certe humor, illarum angustiis fibrarum semel inhærens, easque obstruens, nullam sui uel euacuationem, uel reulsionem, nec missione sanguinis, nec aliorum usu remediorum, interiorum, externorumque, admittit. Tantum abest, ut larga hæmorrhagia attonitus liberetur, ut quidem fieri, usu docemur.

XIII.

NEc vero necesse est, ut apoplexiam aliam sanguineam, aliam non sanguineam, siue serosam, aut pituitosam, statuamus, cum apoplexia omnis sit sanguinea, hoc est, ab humoribus in uasis sanguineis, siue sanguine, proficiscatur. Ex quo fundamento illa apoplexiæ distinctio levis & puerilis appellatur in *op. posthum. Malpighii p.m. 58.* Si quis autem apoplexiam, quam uocant, serosam sero illo, quod in apoplexia defunctis sæpe copiosum intra cranium reperiri, supra dictum est, comprobari existimet, is sibi dictum putet, quod habet *cl. Lancisius, lib. 1. de mort. subit. cap. VII,* humorem uidelicet illum serosum ex coacto intra uasa cerebri sanguine extrudi & secedere, nec modo in cerebro, sed etiam in pulmonibus, & partibus aliis eodem modo colligi, adeoque non causam, sed effectum duntaxat apoplexiæ esse. Quemadmodum familiari admodum experimento constat, impedito sanguinis circuitu per ligatas in cane uenas iugulares, uel cauam infra diaphragma, magnam feri aquosi copiam in capite, imoque uentre, exundare, & animal hydropicum reddere.

Neque uero in hydrocephalo etiam grauisimo, ubi serum eiusmodi omnem cerebri compagem maxima opplet copia, ullum apoplexia tactum ullibi legimus. Ita enim *Vesalius, lib. I. de fabr. corp. hum. cap. V*, caput puellae biennis, refert, paucorum spatium mensium ita intumuisse, ut caput uiri excederet, in cuius cerebro nouem fere libræ aquæ sunt inuentæ, quæ tamen puella sensibus integris ad obitum usque fuit. Exemplum eius generis alia apud *Tulpium*, aliosque reperiuntur.

XIV.

Et si uero plurimum refert, apoplexiam ab affectibus aliis, quibuscum similitudinem, uel cognationem aliquam habet, recte distingui, quod de morbo eiusque specie certus quis esse debeat, antequam ad curationem illius accedat, hic tamen laborandum non putamus, ut apoplexiam ab affectibus soporosis, comate, lethargo, & caro, itemque conuulsivis, nimirum epilepsia, & suffocatione uterina, ac demum catalepsi. & syncope, distinguamus, modo ad repentinum & insomnem stertorem, aphoniæ Hippocraticæ, qua sub uocis
ces-

cessatione, tanquam uno illo maxime manifesto symptomate, omnium sensuum, motionumque uoluntariarum cessatio comprehenditur, superuenientem, in sensu & animo habeamus. Inde enim clare illud uulgaris admodum opinionis commentum constabit, quo fere omnes, qui subita morte discedunt, apoplexia defuncti dicuntur. In quo quidem errore subinde doctissimos etiam uiros uersari uideas. Ita enim cl. *Bartholinus*, atque *Villifus*, cum ille, in *consil. de anat. pract.* apoplexiam non semper in cerebro quærendam esse opinatur, sed nonnunquam in uasis cordis obstructis, intercepto cruore delitescere, hic uero *cap. de apopl.* ab inhibito sanguinis omni ad cerebrum per arterias carotidas ac vertebrales influxu causam apoplexiæ repetit, eandem cum syncope cardiaca manifeste confundunt. Quod etiam apud *Bonetum l. c. obs. V.* deprehendas, cum ex *Andr. Laurentii lib. IX, controvers. anat. 18*, *Guichardinus*, Magni Ducis Hetruriæ apud Regem Galliæ Legatus, satis bene ualens, inter colloquium familiare cum proceribus aulæ subito concidens, & mox spiritu, pulsu, uitaque priuatus, apoplexia extinctus refertur, quod in aperto cadauere

uere contumidum ualde apparuerit, sectumque, magnam sanguinis trium quatuorue librarum copiam emiserit, disrupto uenæ cauæ ostio, & laceratis ualuulis tricuspidibus, oreque arteriæ aortæ ita patente, ut brachii æquaret amplitudinem.

XV.

Ex cognita affectus natura intelligitur quoque, apoplexiam uniuersim permagnam, & peracutam, atque exitiosam plerumque passionem esse, quia cerebrum, ex quo uis manat sentiendi, mouendi, spirandiue, in eo oppressionis discrimine uersatur, ut facile commercium, quodcum corde reliquoque corpore habet, penitus intercipi, & quod cerebrum nihil amplius a corde accipiat, nec reddere eidem aliquid reliquoue corpori possit. Quare pro uaria gradus & magnitudinis consideratione, quam ex uario stertore, & membrorum resolutione haberi diximus, nunc spem faciet uitæ, modo exitium portendet, & mox secuturæ imago mortis erit. Quo quidem sensu, ut supra monitum est, *Hippocrates l. c.* apoplexiam sanare fortem, impossibile esse, censuit, leuem uero, non facile. Quod si enim
impedi-

impeditum in cerebro circuitum sanguinis, & hinc pendentem infarctum ac dilatationem uasculorum, & compressionem cerebri, atque tot varia illius impedimenta, recordemur, non difficulter cognoscemus, quamobrem pauci ab hoc morbo penitus liberentur, & cur ii, qui periculum mortis effugiunt, in diuturnos plerumque morbos, ac præsertim in paralyfin, uel plurimarum, uel aliquarum partium incidant, aut saltem memoriæ iacturam faciant. Nam quamuis circulus sanguinis in cerebro restituatur, potest tamen relinqui aliquid in uasis quibusdam, quod plures vel pauciores neruorum fibras premendo uariarum paralyfin partium efficiet. Possunt etiam antea fortius compressæ quædam cerebri ac neruorum fibræ tono suo ita deiici, ut concipiendis undis ac tremoribus amplius minus sint idoneæ. Quemadmodum uidemus, ligatos filo neruos, soluto quamuis uinculo, ad rectum tonum uimque illam non redire. Vnde idem malum omnino existere debet.

XV.

Neque alienum a ratione id uideatur, quod idem *Hippocrates* scriptum reliquit *VI. aph. 51*: san-
D num

num hominem, subito dolore capitis raptum, mutumque redditum, ac stertentem, intra septimum diem obire: seruari autem, si ante eum diem febris ueniat, posse. Quo quidem loco intelligenda apoplexia levis, & febris minus uehemens, sed illi tamen proportionata, qua, mox initio accedente, adaucto aliquantum motu sanguinis, solui stagnatio sanguinis & apoplexia posfit. Ceterum illud hic non omittendum est, Hippocraticas necessitates, aut impossibilitates, non ita constantes esse, ut omnes casus excludant, nec interdum contrarium emergat, cum, quantum ad apoplexiam attinet, sola plethora sine alia uasorum cerebri læsione grauem illum parere affectum queat, uel tempestiua missione sanguinis, uel sponte oborta hæmorrhagia, superandum.

XVI.

Cum igitur in hoc malo cerebrum, ob impeditum sanguinis circuitum, in præsentissimo oppressionis periculo uersetur, id quidem unicuique euidentis ac perspicuum est, omnem hic operam adhibendam esse, ut, quam fieri possit citissime, circuitus ille instauretur. Quare

re prima curandi ratio protinus a sanguinis missione inchoanda erit, quod ad exonerandum cerebrum ea, qua premitur, sarcina, nullum esse præsentius remedium, & ratio dictitet, & usus rerum doceat. Ita *Dodonæus*, *Obs. med. cap. IIX*, mulierem, forti correptam apoplexia, cum seniores Medici nihil spei superesse iudicarent, XIV ab inuasionem horis uocatus, tum temporis adhuc iuuenis, sanguine illo die bis, & quidem satis copiose, primum e brachio, postea ex pede, detracto, seruauit, & cum plures deinde alios restituisset, nihil, arbitratur, consultius in hoc morbo, quam confestim sanguinem mittere, etiamsi corporis temperies frigidior, & morbi causa pituitosa uideatur, si modo uires ferant. Neque enim citius a superfluis humoribus exonerari cerebrum, quam per sanguinis detractionem, posse, & humores, cerebrum occupantes, absque sanguine non esse. Idem expertus *Nymmannus* noster, *lib. de apopl. cap. XXXIX*, in tam periculoso affectu rectissime omnem salutis rationem in celeri materiæ e capite reuulsione consistere, neque ullum remedium dari posse, opinatur, quod tam cito &

repente humores a capite auertere atque euacuare queat, quam venæ sectionem, quam ideo cunctis aliis præfidiis in curatione apoplexiæ hoc magis præferendam putat, quo certius sit, & res loquatur ipsa, plurimos apoplecticos sola sanguinis per uenæ sectionem detractioe restitutos, & integre sanatos esse. Cum his ita consentientes reperimus expertissimos quosque Medicos, tam ueteres, quam nouos, ut, quamuis in reddendis causis apoplexiæ falsis plerique hypothefibus nitantur, tamen, experientia conuicti, id unum præ aliis omnibus remedii genus quam maxime omnes commendent. Inter hos *Fr. de le Boe Syluius, Pr. med. lib. II, cap. XXI, §. 87 & seq.* venæ sectionem ad remouendum quidem a cerebro humorem institui posse, negat, & cum proinde quæstio sit, utrum ea in illa quoque apoplexiæ specie, quæ a pituita oriri dicitur, institui commode queat, uel debeat, quod remedium causæ, extra uasa sitæ, haud respondeat, hanc in medicina, apoplecticis rite facienda, maximi momenti quæstionem, non theoretice, siue a medico secundum theoriam, qualis ex Institutionibus uulgo petitur, sed practice

Etice, secundum ea, quæ in praxi extra & ultra theoriam quotidie occurrunt obseruanda circa ægros, decidendam esse, existimat, & §. 96, posteaquam cum rationum umbris conflictatus est, ita demum concludit: *Quapropter iudico, prudenter & ex arte posse, imo debere in omni apoplexia institui venæsectionem, & pro ægrorum constitutione, sanguinisque copia in vasis existente, satis largam sanguinis euacuationem. Sic enim diutius durabit æger, & facilius superabitur ipsa apoplexia: uti hoc confirmat experientia, sine qua nescio an quis conscius peccare metuens facile sit concessurus in senibus, & pene decrepitis venæsectionem.*

XVII.

Is uero, si causam apoplexiæ in impedito sanguinis per uascula cerebri circuitu, indeque oriente illius pressione, sitam esse, cognitum habuisset, facilem eius remedii, quod experientia confirmatum prædicat, rationem inuenisset. Nam quia uasa, sanguine nimis referta & distenta, parte illius, uena lecta, quoad satis est, depleta, ad tonum & systolen suam redeunt, eoque contentum impellere sanguinem, iam mi-

nus coactum, magisque mobilem, uiuidius possunt, non modo liberior huius motus & circuitus redditur, sed etiam a pressione dilatatarum antea arteriarum iam liberiores factæ fibræ cerebri & neruorum, tonum pristinum, uiamque, transmittendo succo necessariam, recipiunt. Quæ quidem ut fiant, merito prudentes monent, mature hanc sanguinis missionem instituendam esse ante, quam ad atoniam usque dilatata arteriola, oppressumque cerebrum, ac immobilis redditus sanguis, nec hoc, nec quoduis aliud remedii genus amplius admittant. Neque enim audiendi sunt, qui in hoc tam acuto grauissimoque malo opportunam phlebotomiæ occasionem remissionis tempus esse, uolunt, uel ante primarum expurgationem uiarum præcipiunt. Melius experientia doctus censuit *Sanctorius, comm. in I. Fen p. m. 776: Quod uero ob sanguinis plenitudinem fieri possint apoplexiæ, patet per ipsam practicam, quoniam in ipsa accessione apoplexiæ a copia sanguinis secta uena cubiti statim liberantur. Similiter Celsus, & Aetius secant uenam in apoplexiæ accessione, si vires sint suffocatae a nimio sanguine. Vnde Gentilis non solum in accessi-*

cessione apoplexie, facta a sanguine, sed etiam in accessione uertiginis, si sanguis copia peccet, uult, uenam esse secandam. Multi Medici in apoplexia, ubi predominatur sanguis, imperant post accessionem esse phlebotomandum; sed errant ualde, quia in accessione possunt interire, quod non contingeret, si fieret sanguinis euacuatio in ipsa accessione. Hinc Hippocrates 4. acut. 24. uidens, quod propter uenarum interceptiones saepe fiant suffocationes ex sanguinis nimietate, subdit, tunc secandam esse uenam in cubito. Ac de harum quidem uenarum sectione nemo est, qui dubitet. Plurimum uero ad reuulsionem sanguinis a cerebro, & instaurandum in hoc circuitum, sectionem conferre uenarum iugularium, ex legibus circuli sanguinis patet, & præclare Lancisius l. c. lib. 11, c. v, ac præsertim cl. 10. Freind, Comm. de Febr. p. 113. & seqq. exposuerunt.

XIIX.

Quemadmodum autem in ipsa mali accessione, sic etiam larga satis copia, eaque quantitate mittendus est sanguis, quæ prodesse,

se, non nocere posfit, neque adeo parcius sit, neque nimia. Id quod optime vires, non modo præsentes, sed quales etiam ante fuerunt, quam malum inuaderet, & plenitudo uasorum, pulsusque definient. Qua ratione etiam senes hoc liberari malo uideas, neque tam debiles eosdem & infirmos, quam uirides adhuc, robustosque, & sanguine pollentes, eodem corripiti. Huiusmodi fuit ille apud *Lanceisium* l. c. Dominicus Vecchiottus, septuagenario minor, habitus plethorici ac pinguis, sedentariæ uitæ deditus, & carniuorus, qui, cum per mensem circiter capitis grauitate ac somnolentia ita premeretur, ut iam in limine apparens metueretur apoplexia, nocte quadam improviso larga e naribus correptus fuit hæmorrhagia undecim librarum pondere, qua sane non modo nullam ipse passus est sensibilem uirium iacturam, sed ab illo capitis ueterno se ualde leuatum sensit, & cum quindecim interuallo dierum sanguinis quatuor iterum libras emitteret, omnino uindicatum. Quare uocatus Medicus, uisa integra iudicatione, nihil innouandum censuit, sola contentus admonitione in diætæ regimine, &

& matura deinceps uenæ sectione, quamprimum plenitudinis signa apparerent. Sic quoque uetulæ LXXII annorum, iam apoplexia afflictæ, sectam mature uenam mox opem attulisse, memorat *Deckerus, Exerc. pract. p. m. 385.*

XIX.

Sanguine, ut conuenit, misso, statim enematis acrioribus alius sollicitanda, ac eodem quasi tempore uesicantibus, cucurbitulis, ferroque candente, & stimulis conuenientibus aliis, erigendum cerebrum ac genus neruosum, & uasorum succorumque motus exfuscitandus, atque excutienda & euocanda est grauis cerebro molestaque humorum moles ac multitudo. Quorsum proinde etiam cathartica, apophlegmatismos, ipsaque pertinere emetica, ac ea quidem cuncta pro indicantium uarietate prudenter adhibenda, quiuis haud difficulter intelligit. De quibus hic omnibus ordine & ex professo agere non fuit instituti ratio, neque permittit angustia chartæ. De salibus saltem uolatilibus cor-

nu cerui, uiperarum, falis ammon. & huiusmodi aliis, ipsoque castoreo, quorum hodie familiaris admodum in hoc malo usus esse fœuit, prætermittendum non est, ea tenui acredine sua ui stimulandi excitandique insigni pollere, sed propter uim rarefacientem, ut optime *Pit-carnius* l. c. aduertit, ante sufficientem uasorum depletionem perquam noxia esse, post sectam uero uenam magno nonnunquam commodo adhiberi. Hisque adiiciendus est abusus aquarum, quas uocant, uitæ, cephalicarum, & apoplecticarum, quem alios inter laudatus modo *Dodonæus* sapienter reprehendit, cum *Hist. stirp. pempt. 11, lib. IV, cap. VI*, ita scribit: *Proinde & stillatitius (lauendulæ) liquor odoratus, & temporibus ac fronti illitus, catalepsi, leuiori hemiplexia, & subinde comitiali morbo, ac non raro Syncope laborantes reficit. Sed ubi humorum copia adest, præsertim sanguini permixtorum, non satis tutus huius usus est: sicuti neque compositionis, quæ ex stillatitio uino, in quo huiusmodi herbae, flores, seminaue, & aromata quædam macerata sunt, conficitur, quam plerique temere & indifferenter exhibent. Nam calidorum huiusmodi caput imple-*
tium

tium usu, & morbus intenditur, & æger in periculum inducitur: præsertim quando sanguinis missio aut purgatio non præcesserunt. Quod ideo monendum duximus, quia passim nonnulli medici indocti, & temerarii audacesque nimium pharmacopœi, aliæque stolidæ mulieres, statim similes compositiones, & id genus alia, non modo apoplecticis, sed & catacho cum febris occupatis infundunt, quibus nihil peius potest dari, cum plurimum obsint, & non raro ipsos ægrotantes perimant. Cui sententiæ ea, quæ in hisce primordiis a prudentibus præscripta est diæta tenuis, & sitis famisque tolerantia consentit.



